

P R O P O S I T I O . I .

Adversus Gnosticos, & Valentinianos asserimus, Martyrium perfecte supplere virtutem Baptismi: idque non ex Martyrum fide, ut contendunt Kemniti, & Illiricus, sed virtute, & merito JESU CHRISTI.

§. IV. Demonstratur I. pars. *Math. 10.* legimus hæc verba Servatoris nostri: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam; quæ sic exponit Tertullianus in Scorpiaco, c. II.* Animam suam ille invenit, qui negarit Christum, „ lucrifaciendo vitam, sed perdet in gehennam, qui se putat in negando lucrifacere eam. Perdet autem eam ad „ præsens, qui confessus occiditur, sed inventurus eam in vitam æternam. Atque hæc quidem tam infantes, quam adultos respiciunt; de adultis vero speciatim loquitur *Marci c. VIII.* *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, qui autem perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam.* Unde colligit *S. Augustinus l. 13. de Civitate Dei c. 7.* Martyrium perfecte supplere virtutem Baptismi. Ille enim, qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* ille idem, & generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit &c.* & revera si Martyrium, ut ex Evangelio constat, confert gratiam justificantem, quidni supplere potest virtutem Baptismi?

§. V. Ipsa Traditio, & praxis Ecclesiæ, hanc, quam demonstramus veritatem confirmat. I. Quia Ecclesia in Martyrum morte nec Sacrificia pro ipsis Deo offert, nec preces fundit; fatetur ergo, quod eis Martyres non indigent; hinc *Innocentius III. cap. cum Marthæ.* *Injuriam, inquit, facit Martyri, qui orat pro Martyre: quod jam ante S. Augustinus dixerat tract. 84. in Joannem: Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhareamus.* II. Ut videre est in Martyrologiis *Ussardi, Adonis, &*